

burgi versaretur cum Alheide conjuge, eâ in urbe monasterio D. Liudgeri, ac Werthinensibus in eo Monachis donationes fecit; tabulas hic ex ipsis originum literis exhibemus.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Otto Dei gratia Rex. No-
verint omnes fideles nostri, præsentis et futuri, qualiter nos pro remedio animæ nostræ,
nec non et patris nostri, ac dilectæ matris nostræ, nec non et aliorum consanguineorum nostrorum, ad monasterium, quod vocatur Helmonstedi, ad nutrimentum monachorum inibi Deo famulantium, omnem decimationem subtus nominatarum villarum cum consensu venerabilis Episcopi Bernhardi, qui nunc Halverstadensi Ecclesiæ præest, in perpetuum jus donavimus Helmonstedi, Bassalo, et duo Bassalle Sethorp, Wormstedi. Preterea verò quidquid decimationis pertinet ad curtes prædictorum monachorum in præfato Episcopio in proprium concessimus. Fuisse inde hoc præfens præceptum conscribi, manu nostra subtus signari, et annuli nostri impressione corroborari.

Otto benefacit Monasterio Helmenstadenfi.

Signum Domni Ottonis Serenissimi Regis.



Liudolf Cancellarius ad vicem Brunonis Archicappellani recognovi.
Data III Calend. Majas, anno incarnationis Domini DCCCCLII.
Indictione * V. anno Domni Ottonis Serenissimi Regis X V I I. * al. X.
Actum Magathaburg feliciter amen.

Haud multo post ex Ostfalia in Westphaliam profectus Rex, Wiedenbrugi ad Amasim fluvium, Idibus Junij, Drogoni Episcopo Osnabrugensi, ob præclara merita, monetæ & telonij jura donat, literis ea super re in hunc modum confectis.

Ertvinnus in chron. de Drogone. Crantzius lib 3. Metrop. c. 25.

In nomine sanctæ et Individuæ Trinitatis, Otto Dei gratia Rex. No-
verit omnium fidelium nostrorum, præsentium et futurorum industria, qualiter nos pro interventu Venerabilis Episcopi Osnabrugensis Ecclesiæ Drugonis, monetam et mercatum publicum in loco Wyddenbrugge nuncupato fieri concessimus, quod pro remedio animæ nostræ eidem Ecclesiæ, quidquid Fiscus et pars regia inde obtinere poterit sub potestate Episcopi jam dicti, successorumque ejus ordinandum, vel in moneta, vel in telonio, aut in qualibet actione publica tradimus hujus auctoritatis nostræ præcepto, per quod volumus firmiterque jubemus, ut nullus iudex de præscriptis rebus habeat ullam potestatem inquietandi, vel quidquam molestiæ faciendi, sed ut præfata Ecclesiæ Episcopus successoresque ejus à nobis, nostrisque successoribus hoc inviolabiliter teneant, diligentiusque ab omnibus observetur, annuli nostri impressione sigillari jussimus, manu propria roborantes. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLII. Indictione * IV. data Idus Junii. regnante Rege Ottone anno * XVI.

Drogoni Ep. Osnabrugensi datum jus monetæ & telonij.

* al. X. * al. XVI.

Mense Octobri Rex in Walahausen foundationem Gefekensis monasterij Sanctimonialium Virginum, quod ab Hoholto comite ante sexennium cœptum esse diximus, regali diplomate ratam habuit, quod hic pro veneratione antiquitatis, & majorum religione per Westphaliam contestanda reddimus.

Gefekensium Canoniarum Virginum Collegium, ejusq;

PP

In